

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ars Semper Gavdendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventvales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificivm In Conscientiae Recta Efformatione  
inuentum, & per Adventvales Conciones expositum ac demonstratum

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1667**

Remedium primum. Medicinae physicae purgando melancholico humori  
nonnumquam adhibendae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11367**

states. Eas autem & examinabimus & discutiemus porro deinceps.

## §. III.

*Ponuntur aliquot remedia generalia ad arcendos sanandosque scrupulos.*

18. Interim, ut quod res est fatear, cum magna me teneat commiseratio eorum qui morbo hoc, sanè molestissimo conflictantur, operæ prætium me facturum existimo, si prout jam exposui, quo pacto scrupulosis in ipso scrupulorum conflictu & morbi quasi paroxismo agendum sit, nunc quedam generalia præcepta, ex infinitis quæ passim proponuntur, afferam, quæ quasi medicinæ loco futura sint & remedia, quibus tam importunum malum aut penitus detergatur, aut saltem non modice infringatur.

## R E M E D I V M I.

*Medicinæ physicæ purgando melancholico aut pituitoso humor nonnumquam adhibende.*

19. A primò quidem, cum istud compertum satis sit, & vero etiam Tractatu präcedente liquido demonstratum, sæpius scrupulos ex naturali sanguinis humorumque malâ temperie exortum ducere; unde id etiam constat melancholicis aquaticisque corporibus eos facilius innasci, & copiosius innutrir; vt potè quibus genius sit timidior, cerebri vero humorumque compositio viscosior & tenacior, ac propterea aptior quibus terriora rerum simulacula; Scrupulorum, inquam, semina imprimantur: hinc nullo modo dubitandum est, quin medicinæ physicæ quibus tenaciores humores dissoluuntur, sanguis reficitur, cerebrum purgatur, maximum etiam conductuæ sint scrupulis remedium; vt potè quibus fundamentum ipsum cui inseruntur, & esca quæ nutriuntur subducenda sint quantociùs. Curato autem corpore,

Scrupulosis  
sapè adhi-  
bende sunt  
medicinae  
physicae ad-  
purgandi  
sanguinem  
melancho-  
licum.

H h 3

phantas-

phantasiâque penitus defecatâ , expeditius vires suas exeret . vaporibus antehac nimiis præpedita mens , & actiones omnes pro libero , quo tum pollebit arbitrio , commodè ac sine difficultate disperriet . Quas autem medicinas corpori perpurgando , confirmandoque cerebro pro re natâ adhibere oporteat , meum non est id statuere , Medicorum id est munus . Istud experientiâ certum est , eos qui scrupulis agitantur , pro variâ anni tempestate , Lunæ mensiumque varietate , sanguinis denique affluxu aut detentione , validius etiam scrupulis impeti , tetricibus rerum occurrentium simulacris terrori , cæcioribus denique animæ tenebris penitus obuolui . Quod quidem ab eo qui scrupulosum curare desiderat , obseruandum est non indiligerter , ne frustra operam perdat , animum curare dum satagit , antequam sanando corpori adhibita sit medicina . Et quamvis medicinam ullam particulatim præscribere non sit animus , cum ea pro variâ corporis , sexus , ætatis , morbiisque diuersitate à perito medico sit distingueda , & temperanda ; istud tamen generatim dico , eiusmodi homines moderate debere viuere ; neque iis vlo modo conuenire , vt vires corpori per longa & crebra jejunia , asperiores membrorum afflictiones , diuturnioresque vigilias subtrahant . Euacuatur enim defatigatione nimiâ viuacior sanguis ; & quod in aliis , vt vulgo dicitur , vacua præstat erumena & sine nummis , hoc in scrupulosis agit vacuus & sine debito nutrimento stomachus : vtrumque enim , vacuum facit esse cerebrum , sensus ad omnia torpidos , mentem turbidam , & phantasiam sibi male cohærentem .

## REMEDIVM II.

*Non agat familiariter cum scrupulosis.*

Scrupulo-  
sus cum  
scrapuloso  
non agat  
familiariter.

**A**lterum prætereà scrupuloso obseruandum , vt sibi sedulò à 20. scrupulosi hominis commercio societateque caueat , quantumcumque modestus sit & vir pius . Contagiosus enim hic morbus est , & vbi materiam facilem inuenit , impressionisque capacem , etiam contactu nocet . Neque verò id quemquam latet , scabiosam ouem , quantociùs oui sibi simili scabiem affricare .

Separandæ

